



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Episcopos, Qvi A Carolo
Desciscentes, Lvdovico Regi Adhaeserant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCCXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS, QVI A CAROLO DESCISCENTES,
LUDOVICO REGI ADHAESERANT.

*Increpat eorum infidelitatem, monetque ut restipiscant, ac legatos
a sede apostolica missos benigne suscipiant.*

RE LATIONE vera didicimus, quod dilecto ac spiri-
tali filio nostro Carolo gloriosissimo imperatore Au-
gusto, seniore vestro, ad limina sanctorum apostolorum
Petri & Pauli principum veniente, ibique, ut Christia-
nissimum decet ecclesiæ Christi patronum, vota sua pri-
fco iam tempore præoptata Domino Deo humiliter exol-
uente, Augustaleque diadema, sibi diuinitus sine dubio
collatum, per humilitatis nostræ ministerium accipiente,
fratri eius, Hludouico scilicet regi, si tamen rex iure dici
debeat, qui mentis suæ motus in abruptum impietatis ca-
dentes non rexit, in regnum ipsius collecta populi nefan-
di multitudine intranti, & Paganorum more ecclesiam
Dei, populum videlicet precioso Christi cruore redem-
ptum, in pace positum conturbanti, relictis vestris con-
ciibus atque sodalibus, qui Deo & seniori suo fideles pro-
cul dubio esse videntur, hærere, atque cum eo aduersus
dominum, gentem, & populum vestrum, ab statu vestræ
fidelitatis, & promissione diuinorum sacramentorum,
contra sacri ministerii vestri officium, & contra sponsio-
nis ac fidei vestræ iuslurandum, arma cum hostibus ele-
uare, pariterque nefanda & impia committere præsum-
psistis. Heu pro dolor! quare tantæ iniquitatis scelus spon-
te committere, quare tantæ infidelitatis malum mundo
vniuerso, sicut Iudæ Iscariotæ, execrabile in exemplum
ostendere non dubitastis? Quæ gens hoc audiens vos non
odiat? quod regnum vos exosos fore non iudicet? quando
etiam gentibus, quæ Deum verum vtique ignorant, tale
committere nefas videtur incongruum. Quare pro terre-
nis lucris vel minis eos, quos societate & vnanimitate ve-
stra defendere, saluareque ut vosmet debuistis, appetere,
& cum inimicis persequi non contemptistis? cum dicente
Domino, maiorem caritatem nemo habet, quam ut animam

Iohann. 15.

juam ponat pro amicis suis, in quo scilicet vos eam, quæ per dilectionem operatur, caritatem, sine qua impossibile est placere Deo, in qua totam legem & prophetas pendere scimus, nullatenus constet habuisse, quin potius Cain fratricidam diu mente gesisse. Nonne lux mundi, & sal terræ, Veritate attestante, vos estis, qui verbis pariter & exemplis, quasi luminaria mundo lucere omnibus, atque insulsa hominum mentes sapientiæ cœlestis sale condire instantissime debetis? Nonne vos posuit Spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo? Nonne magis vestrum erat docere populum, non autem in tam peruersis rebus assensum præbere? Dolemus itaque de vobis, quasi de membris corporis Christi, dicentes cum propheta: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*, *sen-_{ter. 4.}* *fus cordis mei turbati sunt*. & iterum: *Quis dabit capiti meo a-_{ter. 9.}* *quam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam populum istum die ac nocte?* Quapropter monemus, hortamur, & saluti vestrae volentes pro affectu consulere magnopere suademos, ut resipiscentes, tantæ iniquitatis auctore scelesto relicto, ad Deo dilectum imperatorem seniorem vestrum Augustum toto animo fidelique voluntate reuerti, ac deinceps ei fideliores existere omnibus modis procuretis. Nam vestrum erat pacem annuntiare his qui prope & his qui longe sunt, dicente Domino: *Supra montem excelsum Isa. 40.* *ascende tu qui euangelizas Sion. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* vestrumque erat annuntiare populo scelera & peccata sua, ne sanguis eorum de manu vestra a Domino requiratur, non, ut dictum est, sequi. Et ideo contaminati estis secundum prophetam dicentem: *Væ quia tacui, Isa. 6.* *quia vir pollitus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* & communicantes prauis eorum sceleribus, in fructuosisque operibus vos reprehensibles ostenditis. Tamen quia scimus procul dubio late patere viscera pietatis Dei, reuertimini, & nolite de cetero iugum cum infidelibus ducere. Nolite amplius imitari eos, qui pacis sanctæ foedera violant, vnitatem diuidunt, & in agro dominico zizania superseminare ad propriam infelicitatem presumunt. Reuertimini & sectamini charismata meliora, nec iterum antiqui hostis versutiis pareatis: sed sicut Dei ministri, Domini præcepta sequentes, in omnibus cum

Aaa iii

iam dicto imperatore carissimo filio nostro perfecte stare fatagite. Quia si cum praefato rege Hludouico, vel aliquo filiorum eius, ad scandalum & regni perturbationem manere, aut eis aliquod adiutorium modo quolibet præbere tentaueritis, & non potius ad eumdem dilectum filium nostrum Cæfarem Augustum certissime redieritis, atque cum eo aduersus eius inimicos viribus totis fideliter non steteritis, scitote vos per auctoritatis nostræ legatos anathematis submittendos. Præsentes autem missos nostros, Ioannem videlicet & Ioannem venerabiles episcopos, dilectosque familiares nostros, benigne admittite, iniunctam sibi legationem intelligenter audite, & efficaciter obaudite. ut in hoc quam vere sitis filii pacis cunctis detur intelligi, & neminem possit latere mortalium. Pro Christo enim, qui est pax nostra, legatione funguntur, cum procul dubio a se de apostolica pro pace mittuntur. Optamus vos in Christo nunc & semper bene valere. Recitata in Synodo Pontigenensi.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Relatione vera.*] Eorum qui tunc a Carolo descivere princeps fuit, Aimoino teste, Ingelraminus nuper camerarius, regique intimus, nunc Ludouico Germaniae regi auctor fraterni regni inuadendi. De his ergo Aimoinus idem lib. v. cap. xxxii. *Ad obſtendum, inquit, Ludouico primores regni Caroli, iubente Richilde regina, sacramento ſe conſirmauerunt, quod non feruauerunt: ſed ex ſua parte regnum Caroli pefſum dantes hoſtili more deuauere. Similiter & Ludouicus cum ſuo exercitu idem regnum pefſum dedit.*

EPISTOLA CCCXIX.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VNIVERSOS GALLOS ET GERMANOS.

De damnatione Formosi episcopi, Gregorii nomenclatoris, & aliorum, qui Romæ in Synodo fuerant excommunicati.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei reverentissimis & sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ſacerdotibus, cunctisque iudicibus, & uniuero populo, per omnes Gallias & Germanias constitutus.

ZELO Christianæ religionis ecclesia Dei quæ penes nos est, instinctuque dilecti filii nostri serenissimi impera-